

De secundinarum ab utero expulsionem : dissertatio anatomico-chirurgica : hanc dissertationem, Deo juvante, & praeside M. Petro-Francisco Gallée ... / tueri conabitur Joannes-Raymundus Eclancher, theseos auctor.

Contributors

Éclancher, Jean Raymond.
Gallée, Pierre François, -1831.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

[Paris] : Typis Michaelis Lambert, 1786.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hyxdp3bd>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

140.
D E

SECUNDINARUM AB UTERO

EXPULSIONE.

DISSERTATIO

ANATOMICO-CHIRURGICA.

*HANC DISSERTATIONEM, DEO JUVANTE, & Præside
M. PETRO-FRANCISCO GALLÉE, Artium liberalium & Chi-
rurgiæ Magistro, saluberrimæ Facultatis Medicinæ Andegavensis
Doctore Medico; tueri conabitur JOANNES-RAYMUNDUS
ECLANCHER, Petrocoricensis, præclaræ Artium Facultatis
in almâ Universitate Parisiensi Magister, in Scholis Regiæ
Præclicis, necnon in Nosocomio vulgò dicto la Salpêtrière, olim
Alumnus, Theseos Auâtor.*

*Die Sabbati, 5^a mensis Augusti, anno R. S. H. 1786, à sesqui-
secundâ post meridiem ad septimam.*

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

PRO ACTU PUBLICO,

ET

MAGISTERII LAUREA.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ
Collegii, necnon Academiæ Typographi, viâ Cytharæâ.

M. DCC. LXXXVI.

D E

SECUNDINARUM AB UTERO

EXPUSSIONE

DISSERTATIO

ANATOMICO-CHIRURGICA.

Hanc Dissertationem, pro Laurea, &c.

M. Petrus Andreas Celsus, Med. &c.

in Universitate Lipsiensi, publicè defendit.

Die Martii, 1772. auctoritate Rectoris.

ACTORUM, &c. &c. &c.

in Universitate Lipsiensi, &c.

&c. &c. &c.

&c. &c. &c.

In Lipsiensi, &c. &c. &c.

peracta per, &c. &c. &c.

&c. &c. &c.

&c. &c. &c.

&c. &c. &c.

&c. &c. &c.

MAGISTRI LAUREA

&c. &c. &c.

&c. &c. &c.

&c. &c. &c.

&c. &c. &c.

&c. &c. &c.

&c. &c. &c.

M. DCC. LXXXV.



D E

SECUNDINARUM AB UTERO
EXPULSIONE.

DISSERTATIO
ANATOMICO-CHIRURGICA.

EFFLUXERUNT Amnii aquæ ; in lucem editur fœtus , re-
secatur funiculus umbilicalis , viget puerpera : nondùm adim-
pletur Naturæ votum ; debent etiam eliminari secundinæ : quo-
nam verò tempore , quonam modo , in dissertatione discepta-
turi sumus. Ut autem res clariùs illucescat , pauca de Anatomia
præmittere operæ pretium est.

A

Viscus cavum, vesicam urinariam inter & intestinum rectum, quibus laxè adhareret, regione in hypogastricâ situm, excipiendo fœtui dicatum, Uterum vocant Anatomici. Ipsius pars superior & amplior, fundus dicitur; cujus è lateribus duo canales exeunt, tubarum *Fallopîi* nomine insigniti, ad parva corpora oblonga, quæ ovaria nominantur, tendentes; pars media corpus appellatur; inferior seu cervix rimâ transversâ tumidis labiis comprehensâ, aperitur, ob formamque os tinæ vocatur; in parturientibus autem magno donatur orificio circulari, mucò abundanti obrito, intrâ vaginæ parietes quibus annectitur, aperto.

UTERI cavitas quandoque bipartita, plurimis est pertusa poris vasorumque ostiis, lympham sanguinemve, pro circumstantiis, stillantibus; in illa quoque tubarum *Fallopîi* collique orificia interna patent.

MEMBRANAM exteriorem utero præstat peritonæum, cujus variæ reflexiones, duo ligamenta lata, quæ tubas *Fallopîi*, uterumque lateraliter amplectuntur, efformant; rotunda etiam duo alia sunt, quæ è fundo uteri exoriuntur, & per annulum musculi obliqui majoris exitum sibi parant, & in adipe evanescunt. Interiorem verò membranam, villosam, flocculentam ipsi præbet epidermis.

HUJUS visceris fabricæ intimæ accedunt vasa lymphatica, nervosa, sanguinea, & sinus, quorum tantus est diameter versùs gestationis finem, ut digiti extremitatem facillè admittere possent: accedunt etiam tela cellulosa, in gravidis laxa, in vacuis densè stipata, fibræque musculares attendenti apparentes, quarum magna pars à fundo uteri ad collum extenditur; sunt tamen obliquæ, transversæ, decussatæque aliæ, & in circellos imprimis in fundo dispositæ.

PLACENTA, funis umbilicalis, chorion & amnios continentur utero gravido; hæ partes secundinarum nomine designantur, ex eo quòd secundo partu ut plurimùm excernantur.

PLACENTA corpus est spongiosum, orbiculare, uteri fundus, inter chorii duplicaturam, sæpe sæpius hærens, vasis sanguineis, venosis & arteriosis cum textu celluloso intertextis, constans, duabusque faciebus; convexa una, quæ chorii laminâ obducitur, quæque superficiei internæ uteri, mediantibus lobulis numero indefinitis, sinus uterinæ substantiæ ingredientibus, humoremque lymphaticum exfugentibus, adhærescit; concava altera, inæqualis, fœtum ipsiusque alia involucria spectans: hanc super omnia placentiæ vasa in tres truncos ingentes coeunt, binas arterias umbilicales dictas, venamque ejusdem nominis, constituentes, ex quarum unione funiculus, umbilicalis nomine notus, exurgit, semi-ulnam circiter longus, varios in gyros plicatus, cellulosa telâ & membranâ quæ amnio continuatur circumdatus: fœtus umbilicum subit, tuncque in sinum venæ-portatum abit vena; arteriæ verò in primarias iliacarum divisiones inferuntur.

MEMBRANÆ duæ fœtum ipsiusque aquas involvunt, exterior una, interior altera: prima villosa, vasculosa, porosa, internam uteri substantiam duasque placentiæ facies immediate tegit, hisque satis firmiter conglutinator; chorion dicitur: secunda, tunica tenuis, pellucens, vix vasculosa, priori subjicitur & coheret; aquæ quibus innatat fœtus eam undiquè alluunt: amnios audit.

VASA sanguinea uterum omniaque fœtus involucria dædaleis distributionibus irrorantia, & inter se communicantia, ab umbilicalibus, hypogastricis & spermaticis oriuntur.

HÆC de Anatomia satis sunt, ut clarè constet maxima oriri mala, si tempore debito non extrahantur secundinæ, quæ ab auctoribus aliundè fusè descriptæ sunt: iis itaque examinandis hic longius inhære supervacuum.

MULTUM inter auctores & practicos, utrum secundinæ statim ac fœtus ab utero exclusus fuerit, sint avellendæ nec-ne, disputatum est: variant opinioniones; suam quisque ruetur: nostram

quoque exponemus. Si rem non enodaverimus, litem tantisper componere conabimur. Qui de citâ secundinarum avulsione cogitant, iis nostrum non præbemus assensum; ista enim operatio maximam puerperæ inferre potest noxam: tunc reipsâ temporis non maximè coarctantur uterinorum vasorum orificia; lobuli placentæ de uteri sinibus nondùm exeunt, his adhuc plus minusvè firmè adhærent, flocculi chorii utero adhuc connectuntur, ex quibus omnibus certum imminere periculum vel præsens vel futurum, si in secundinis extrahendis tam inconsiderata praxis admitteretur, nobis colligere liceat; dum enim nondùm solutam placentam protrahere tentant, sive illud fiat funiculum umbilicalem attrahendo, sive immisâ in uterum hiantem imprudenti manu, fieri non potest quin uterus trahatur, irritetur, lædaturve: proindè nil mirum si sanguinis insigne profluvium ex patulis vel abruptis vasis, vitam mulieris in discrimen quandoque adducens, veniat; nil mirum si invertatur uterus, eò periculosior inversio, quò fuit improvissior: tunc reipsâ stupent omnes, stupet & ipse persæpè obstetricans; jugiter distillat sanguis; incassum implorat opem puerpera; deficient vires, crebra patitur animi deliquia; aurium tinnitus, sudores frigidi superveniunt, vitæque cum sanguine fugit. Fatendum tamen tam funestâ eam semper non corripì hæmorrhagiâ; non negandum etiam quandoque se coarctare uteri inversi orificium, partemque inversam stringere; undè, nisi statim reponi possit hæc pars prolapsa, opus arduum, citò inflammatur & in gangrænam abit; ex hisque istam inversionem nunquam esse periculi immunem, concludendum. Et ut convulsiones uterique prolapsus taceamus, quid de vulneribus, inflammationibus hanc per praxim præproperam substantiæ uteri inflictis, dicemus? Sanane ex illis semper abierit mulier? nonne, minimâ occasione datâ, ulceribus, polypis, scirrhis, &c. ansam præbebunt? nonne anguis in floribus latens, undè

sæpiissimè causa non præsenfa tot morborum fœminas ociùs feriùsve tam miserè excruciantium ?

Cum tanta hanc-ce methodum comitentur consecreturve accidentia, aliam mitiorem, tutiorem, horumque malorum immunem investigandam esse, nemo inficias ibit; quod pensum nostrum est, hocque pro viribus nostris absolvemus. Si igitur parturientibus auxiliatricem manum porrigere cupias, quid arti negatum sit, quid ei tribuendum circumspicias: nimium festinantem praxim apage, Naturæque molimen fidenter speres: illâ duce obstetricans agat, nec turbet imprudens, nec moliatur adversâ: si manu juvari velit, ad eandem salutis metam nisu reciproco tendant, amicè conspirent, unâ debellant; felix indè & certior sese manifestabit effectus. His imbutus præceptis, simul ac in lucem prodierit fœtus, abortivus vel non, funem umbilicalem reseca; ex parte infantis eum alliges vel non, prout debilis, fortis, plethoricusve fuerit; ex parte verò matris, non tantum superfluam, sed & noxiam fore ligaturam judicamus: liber igitur relinquendus, ut facilè fluat sanguis in placentâ contentus, hæcque minus acquirat volumen, faciliùsque idcirco foràs amandetur; nec tamen ideò nocivam puerperæ hæmorrhagiam ex ea funiculi abscissi parte quæ à placentâ penderet & non deligatur, pertimescas: variis enim experimentis ab auctoribus & à nobis summâ curâ institutis, constat, eam tantum modò sanguinis quantitatem effundi, quæ in placentâ dum adhuc ei adhærebat infans, collecta erat; sexcentis aliundè demonstratur argumentis nullam sanguinis circulationem, gravidam inter & secundinas, dum fœtus in utero jacet, existere; à fortiori, si jam aliqua fibrarum uterinarum contractio supervenerit: reliquum negotium Naturæ committendum est, & ab utero spontaneam secundinarum expulsionem expectare ne dubites; simul atque enim suis è claustris erupit infans, vi fibrarum musculosarum se

contrahit variâ cum celeritate, pro circumstantiis puerperæque idiosyncrasiâ, uterus ultra modum adhuc distensus: fit densior; ipsius vasa arctantur, ipso facto minùs adhæret placenta, brevi-que temporis spatio omninò solvitur, fit corpus extraneum actionem uteri perpetuò sollicitans, se contrahunt fibræ ut ab onere se liberent, magis ac magis comprimitur placenta, donec tandem ipsa & accessiones expellantur: tum vasa in minus lumen nitent, ad volumen propemodùm naturale sensim sine sensu redit uterus, heterogenea exprimit & evacuat, placidè fluunt lochia, omniaque ex Naturæ voto prosperè succedunt. Tunc mente quietâ consistas; quorundam auctorum practicumque de miasmatum putridorum resorbtione, de cervicis uteri constrictione expulsionì placentæ adversâ, futilia dicta procul rejicias: quin imò, etiamsi constringeretur collum fœtu extracto, quod reverâ haud rarò in validis sanisque mulieribus contingit, quid indè colligendum foret, nisi quòd ad eliminandas secundinas quibus perdifficilis tunc pateret exitus, cunctandum sit, cùm certâ comprobetur experienciâ alterno motu agere uterinas fibras, uterique orificio sese angustante, laxari fundum; collumque à fundi uteri contractionibus, quin priùs à secundinis aliisque heterogeneis fuerit vacuus, non quiescentis, relaxari & dū-
 duci? Ambigis adhuc in dubioque obstinatè hæres? primarum parentum historiam in memoriam revoces: in animalia ipsa, in multas pauperulas mulieres, in plurimas militum uxores, in meretrices; uno verbo, in omnes solis Naturæ viribus parturientes, oculos conjicias; nonne tamen efficaci nec turbulento nisu secundinas, adversarios malignosve humores sponte expellit naturalis uteri contractio? nonne tamen fruuntur valetudine periculosioribus & exitialibus malis suprâ memoratis rarò obnoxiâ? Hoc certè tibi erit solatio, si præsertim attenderis hanc methodum esse generalem, admittendamque in illis casibus

tantum, ubi nullum subest periculum, ubi satis viribus instructaprehenditur parturiens; quod ex præteritis & præsentibus facile noscitur, vigente adhuc utero & ad contractionem prono, quam nullo labore percipies, si manum hypogastricæ regioni admoveas; tunc enim durissimum globum quem efformat se contrahens uterus, per integumenta senties; vel si digitum in uteri collum immittas, cujus fibrarum actio ipsam & uteri indicabit.

Ex dictis patet musculorum parturientis actionem solam semper sufficere non posse ad removendas ex utero secundinas; imò & etiam periculosam maximè, mortiferamve fore res ipsa docet, nisi quibusdam in casibus, de quibus unum aut alterum verbum dicemus, illi ars opitularetur.

QUANDOQUE exclusionem fœtus sequitur hæmorrhagia uterina ineluctabilis, sive planè avellatur placenta, seu ex parte tantum, sive sanguinis rivus, ex eo quòd super orificii matricis circumferentiam agglutinata hæreat placenta, oriatur, pro causave uteri fibrarum atoniam agnoscat; quod non rarum in debilibus imprimis molliterque educatis mulieribus toto graviditatis tempore inertì torpentibus otio; de hacque certus eris, si durissimum globum, de quo suprà, non sentias; si è contrà abdomen flaccidum, non resistens, collumque uteri amplum, hians, nullâque actione donatum, deprehendas: in his hæmorrhagiarum generibus, quidquid sit de causâ, secundinarum expulsio solis Naturæ viribus non est committenda: uterus enim repetitis contractionibus quarum ope fœtum exclusit, sanguinisque effluvio jam debilitatus, eò ad actionem evaderet imbecillior, quòd vasorum ostia ad reactionem minimè apta, sanguinem undatim effunderent, quod fieri non posset quin magis-ac-magis debilitaretur uterus, & quàm brevi temporis intervallo parturientis anima, cum sanguine & viribus evola-

ret in auras , citissimum nisi adhiberet remedium in arte obstetriciâ peritus : ille tanta sapissimè præcavet mala , corrigit nascentia reparatque extrema , nec remediis immoratur internis ; tam imbellibus phaleratus armis , si malum adoriretur , victor non recederet. Malo urgente , urget auxilium ; nec mora : quibusdam topicis adstringentibus & frigidis , variisque irritationibus internis incassum prius adhibitis , ad ultimam salutis anchoram tendit , chordam umbilicalem sinistrâ manu linteo sicco munitâ apprehendit & attrahit , dextræque manûs digitis in vaginam immiſsis , uteri collum irritat , funemque tensum dirigit ad locum insertionis placentæ & ad angulum quem axis uteri cum vaginæ axi efformat , probè attendendo , lenibusque motibus quaquaversum secundinas extrahere conatur ; quæ si nimiam afferant resistantiam (non raram , si præsertim cum utero , ut aiunt auctores , conferruminantur , vel in peculiari quasi sacco ob inæqualem uteri contractionem incarcerationem , vel si excluso fœtu convulsiones superveniant) à tractione desistit , statimque oculatam manum in cavum uteri immittit ; quâ mediante , uterinarum fibrarum actionem , pro re natâ , sollicitat : idem faciendum , si abrupta fuisset chorda umbilicalis , digitisque placentam inter & uteri substantiam blandè collocatis , hujus cum istâ nexum , si quis adest , placidè prudenterque solvit ; quo peracto , faventibus ægræ reviviscentis nixibus , secundinas attrahit , harumque si fortè remanerent in utero particulæ , nimio hunc mundandi studio , substantiam ipsius internam , pertractationibus intempestivis , non malè afficeret ; à Naturâ verò illarum expulsionem spontaneam fidenter expectaret.

POSSENT hæc auctoritatibus fulciri , ulteriùs deduci , explanari , & dictis plurima addi : nostræ verò dissertationis limites ne ultra progrediamur verant. Quæ supersunt dicenda , disceptionibus dilucidabuntur.

Hujus disquisitionis conclusio per se facile patet , Naturæ scilicet motus & uteri contractiones ferè semper solas sufficere ad removendas ex utero secundinas ; in hâcque assertionem nec-accusanda præjudicata opinio , nec quid pertimescendum , ubi ratio & experientia in unum conspirant.



